

**ROMANIA OCCIDENTALIS**

**Hrsg. von Johannes Kramer**

Band 26

**Sigrid Albert**

**Johannes Kramer**

**Wolfgang Schweickard (edd.)**

**Miscellanea ad linguam Latinam  
linguasque recentiores attinentia**

**Wissenschaftlicher Verlag A. Lehmann**

**Veitshöchheim bei Würzburg**

1994

Wolfgang Schweickard

(Ienensis)

## De lexematis teniludii in lexicis Italicis\*

### 1. Introductio

Receptio lexematum sermonis disciplinaris atque specialis in lexica sermonis communis est problema generale (meta-)lexicographiae. Quaerens, quo modo lexemata atque syntagmata sermonis tenilusorii in Italicis lexicis sermonis communis respiciantur, aspectus partialis huius problematis exemplariter tractabitur. Hoc in conexu lexicon a Nicolao [Nicola] Zingarelli compositum (Zingarelli 1983) imprimis investigabitur<sup>1</sup>. Comparationibus cum recentioribus lexicis, velut Garzanti 1987<sup>2</sup> et Devoto / Oli 1990<sup>3</sup>, monstrabitur, quales lacunae inventae manserint et qualibus conexibus receptio lexicographica progressa sit. Fundamentum empiricum huius investigationis sunt nonnulla excerpta ex relationibus teniludii - imprimis ex actis diurnis, q.t. *Gazzetta dello Sport* - deprompta atque materiae alicuius operis diplomarii Saravipontani, quo de sermone relationum teniludii agitur<sup>4</sup>.

### 2. De lexematis teniludii in lexicis sermonis communis inveniendis

Exemplo lexici, quod est *Nuovo Zingarelli*, ostenditur lexemata teniludii, quae sunt maioris momenti, lexicographia sermonis communis generaliter respici. Inveniuntur - ut solum nonnulla exempla afferam - haec: *bimane* 'giocatore di tennis che colpisce la palla impugnando la racchetta con entrambe le mani'<sup>5</sup>, *diritto* 'tiro fondamentale che si effettua colpendo la palla con la faccia interna della racchetta, con il braccio quasi teso', *doppio* 'incontro fra quattro giocatori che gareggiano in coppia', *doppista* 'giocatore o giocatrice di doppio', *game* 'ciascuna delle giocate che costituiscono un set', *rovescio* 'colpo di rinvio effettuato portando la racchetta in direzione del braccio libero e colpendo

\* Versio Italica huius symbolae divulgata est in opere, quod edidit Domenico Proietti, *La lingua in gioco. Linguistica italiana e sport (1939-1992)*, Roma, Pellicani, 1993 (supplementum periodici, cui titulus *Ludus. Sport & Loisir* 1: 3-4, 1992/3, 102-106).

<sup>1</sup> Nicola Zingarelli, *Il Nuovo Zingarelli. Vocabolario della lingua italiana*, Bologna, Zanichelli, 1983. - Abbreviationes adhibitae: GS = *La Gazzetta dello Sport*; CS = *Corriere dello Sport*.

<sup>2</sup> *Il Grande Dizionario Garzanti della lingua italiana*, Milano, Garzanti, 1987.

<sup>3</sup> Giacomo Devoto / Gian Carlo Oli, *Il dizionario della lingua italiana*, Firenze, Le Monnier, 1990.

<sup>4</sup> Brigitte Farrenkopf, *Der Wortschatz des Tennis im Italienischen*, Opus diplomarium, Saraviponti 1991. Testimonia ex illo opere deprompta significantur F littera fonti subijuncta. - Specialem investigationem, quae spectat ad verborum thesaurum teniludii, iam anno 1951<sup>6</sup> Lanfranco Caretti exhibuit ("Noterelle tennistiche", *Lingua nostra* 12, 1951, 77-80). Nonnulli termini technici etiam inveniuntur in monographia Caroli [Carlo] Bascetta (*Il linguaggio sportivo contemporaneo*, Firenze, Sansoni, 1962) et in lexico Marii [Mario] Medici (*Glossario di linguaggio sportivo*, Roma, Armando, 1965). Cum autem haec opera propter celerem mutationem verborum athleticorum nunc temporis obsoleta sint, tamen nonnulla cimelia, id est examinum opera nondum divulgata, in archivis bibliothecarum Germanicarum atque Italicarum certe abscondita sunt.

<sup>5</sup> Cfr etiam *rovescio bimane* 'rovescio effettuato impugnando la racchetta con entrambe le mani' (GS 128/86, 18).

quindi la palla con la parte della racchetta corrispondente al dorso della mano<sup>6</sup>, *servire* 'effettuare il servizio', *set* 'partita di tennis, composta di giochi o games', *set ball* 'la palla giocata che decide dell'aggiudicazione di un set', *singolo* 'incontro disputato tra due giocatori', *smash* 'schiacciata', *tie-break* 'nel gioco del tennis, metodo per abbreviare la durata di un set, dopo sei giochi pari' vel *volée* 'colpo al volo'<sup>7</sup>. In nomenclationis indicibus [*Tavole di nomenclatura*] lexicis, quod est *Zingarelli*, conspectus, quamvis perquam brevis, notionum specialium teniludii invenitur.

### 3. De lexematis atque syntagmatis absentibus

Cum lexemata, quae in lexico, quod est *Nuovo Zingarelli*, inveniuntur, cum relationibus praesentibus comparantur, perquam magnae lacunae in lexematis sermonis teniludii recipiendis animadvertuntur. Conspectu autem insequenti singula exempla afferuntur.

**3.1.** In teniludio sicut in plerisque aliis rebus athleticis multa verba ex lingua Anglica mutuata sunt in usu<sup>8</sup>. Anglicismi vero, qui in relationibus recentioribus inveniebantur, sed in lexico, quod est *Nuovo Zingarelli*, non leguntur, sunt haec: *ace* 'battuta di servizio che l'avversario non è in grado nemmeno di toccare' (GS 13/84, 19)<sup>9</sup>, *back* 'rovescio' (GS 115/91, 19)<sup>10</sup>, *court* 'campo di gioco' («Era ormai libero il 'court' [...]», CS 28.6.91, 20-F)<sup>11</sup>, *net* 'rete (indica la nullità della battuta di servizio in quanto la palla è passata nel campo avversario dopo aver toccato la rete)' («non ha sentito un 'net' sul suo servizio» [i.e., arbiter deiectum agnovit], GS 145/83, 17)<sup>12</sup>, *penalty-point* 'sottrazione di un punto in seguito a condotta scorretta' («così non solo ha perso la battuta, ma ha incassato un 'penalty-point'», CS 1.7.91, 20-F)<sup>13</sup>, *ranking* 'classifica' («[...] superando Magnus Gustaffson, al decimo posto del ranking Atp», GS 6.8.91, 16-F)<sup>14</sup>, *serve-and-*

*volley* 'modo di giocare che consiste nell'avanzare immediatamente a rete dopo il proprio servizio per prendere al volo la palla ribattuta dall'avversario e fare il punto' («Tra i due Courier sembrerebbe il più adatto ad assimilare i meccanismi del serve-and-volley senza i quali, se non si è Borg, è difficile vincere sul verde», GS 30.6.91, 20-F)<sup>15</sup>, *slice* 'taglio' («Il mancino Connel serviva bene con lo 'slice', il taglio», CS 28.6.92, 20-F)<sup>16</sup> et *wild card* 'possibilità di partecipare a tornei anche senza qualificazione regolare ovvero senza rispettare la scadenza regolare per l'iscrizione, concessa dagli organizzatori dei tornei soprattutto ai campioni del tennis' («Pernfors ottenne una wild card all'open degli Stati Uniti», GS 130/86, 23).

**3.2.** Etiam in lexematis Italicis, quibus conexus teniludii significatur, nonnullae lacunae inveniuntur. Sic in lexico, quod est *Zingarelli*, invenitur quidem *gioco del tennis*, tamen non legitur *gioco* speciali significatione teniludii, quae est 'game' (cfr GS 13/84, 19). Insuper deest verbum quod est *nastro*, significans 'bordo superiore della rete' («un passante corretto dal nastro», GS 211/82, 25), non leguntur *cemento* («confronti [...] sul cemento», GS 131/86, 23) atque *rosso* («gli specialisti del rosso», GS 131/86, 23), quibus verbis genera campi lusorii designantur, neque legitur *vantaggio* significans 'punto ottenuto dopo il 40 pari dal giocatore che effettua la rimessa' (GS 128/86, 18). Similiter desunt locutiones elliptice abbreviate<sup>17</sup> velut *passante* (Il Giorno, 20.1.86, 8)<sup>18</sup> loco locutionis, quae est *colpo passante* (quae locutio ipsa invenitur), atque nonnullae derivationes velut *doppistico* (GS 6.7.91, 23-F) et *tennisticamente* (GS 145/83, 17).

**3.3.** Nonnullae quidem locutiones atque syntagmata specialis sermonis teniludii quoad aspectum praecipuum interdum sub lemmate principali commemorantur (*doppio maschile*, *doppio femminile*, *doppio misto*; *volée di diritto*, *volée di rovescio*). Tamen non est mirandum, quod hoc in conexu multae locutiones desunt, quae lexicis sermonis communis sunt nimis speciales. Exempla autem sunt haec: *break point* (GS 24.8.91, 21-F) et *palla break* (GS 145/83, 17), *classifica del computer* (GS 130/86, 23)<sup>19</sup>, *doppio errore* (Il Giorno, 20.1.86, 8)<sup>20</sup>, *colpi da fondo* (GS 128/86, 18), *in lungo-linea* («un passante di rovescio in lungo-linea», GS 211/82, 25), *match ball* (GS 128/86, 18) et *match point* (GS 127/86, 23)<sup>21</sup>, *palla del ser* («Vilas ha avuto la palla del set sul 6-5», GS 129/86, 23) et *set-point* (GS 13/84, 19), *prima palla* («ha servito una gran prima palla»,

<sup>6</sup> Syntagmatic, quod est *insistere sul rovescio* (GS 130/83, 25), haec condicio describitur, qua follis hunc in modum propellitur, ut lusor adversus ictu inverso uti cogatur (quod tum est maioris momenti, cum lusor quidam ictum inversum infirmoorem exhibere solet quam ictum directum).

<sup>7</sup> Cum variationibus orthographicis, cfr *volé di diritto* (Il Giorno, 20.1.86, 8). - Italica notio parallela verbi, quod est *volée*, est *volo* (cfr. *gioco al volo*, etc.).

<sup>8</sup> De conspectu similium conditionum in pedifollio inveniendi, cfr Wolfgang Schweickard, *Die 'cronaca calcistica'. Zur Sprache der Fußballberichterstattung in italienischen Sportageszeiungen*, Tübingen, Niemeyer, 1987 (62 ss.).

<sup>9</sup> Saepius adhibetur, tamen interdum usque nunc signis citationis adhibitis: «Arrivato al tie-break, si è impo- sto 7-4 con un 'ace'» (CS 1.7.91, 20-F). Mirum autem est, quod in actis diurnis, q.l. *Gazzetta dello Sport*, verbum, quod est *ace*, semper sine signis citationis scribitur, cum acta diurna, q.l. *Corriere dello Sport*, signa citationis praefertant. - Verbum parallelum Italicum est *servizio vincente* (GS 124/83, 25).

<sup>10</sup> Italicum verbum parallelum multo usitatus est.

<sup>11</sup> Regulariter *campo (di gioco)* est in usu.

<sup>12</sup> Forma usitata est *rete*.

<sup>13</sup> Cfr etiam variatio periphrastica haec: «è stato penalizzato di un punto per abuso di racchetta» (GS 17.8.91, 16-F).

<sup>14</sup> Cfr etiam *ranking mondiale* («non ci sono grandi variazioni tra i primi 10 giocatori del ranking mondiale», GS 16.7.91, 16-F). Saepius variatio linguae Italicae accommodata adhibetur, quae est *classifica* («deve assolutamente vincere questo torneo per non perdere il n° 1 della classifica Atp», GS 1.8.91, 19-F).

<sup>15</sup> Partim linguae Italicae accommodatum est verbum (*gioco servizio-volée* (GS 156/90, 26).

<sup>16</sup> Variatio, quae est *taglio*, usitatio est.

<sup>17</sup> Cfr etiam Schweickard, *Cronaca calcistica*, 105 sqq.

<sup>18</sup> Cfr etiam *passante di rovescio* (GS 49/84, 27).

<sup>19</sup> Elliptice etiam verbum solum, quod est *computer*, eadem significatione adhibetur (GS 121/83, 19).

<sup>20</sup> Invenitur tamen notio saepius adhibita, quae est *doppio fallo* ('nel tennis, errore del giocatore alla battuta che manda in rete o fuori del rettangolo di servizio anche il secondo tiro').

<sup>21</sup> Variatio linguae Italicae accommodata est *palla partita* (GS 128/86, 18).

GS 127/86, 23)<sup>22</sup>, *pari* in coniunctionibus his: *15 pari / 30 pari / 40 pari* (GS 128/86, 18), *torneo challenger* (GS 7.9.91, 18-F)<sup>23</sup> et *demi-volée* («ha dimostrato una netta superiorità in fatto di abilità sull'erba, sfoggiando ottime demi-volées», CS 27.6.91, 17-F).

3.4. Similiter difficiles sunt condiciones syntagmatum verbalium, quorum pariter paucissima in lexica recipiuntur. Ea de causa desunt locutiones velut *fare ace* («Non è tanto importante fare ace», GS 8.7.91, 19-F)<sup>24</sup>, *piazzare un ace* (GS 157/86, 19) et *realizzare un ace* (GS 211/82, 25), *strappare la battuta (a)* (GS 130/86, 23), *rimanere a fondo campo* (GS 130/83, 25), *avere un match-point* (GS 127/23, 18) et *sciupare un match point* (GS 128/86, 18), *salvare una palla-break* (GS 49/84, 27) et *sciupare una palla break* (GS 128/86, 18), *cedere il servizio* (GS 49/84, 27) et *perdere il servizio* (GS 49/84, 27), *strappare il servizio (a)* (GS 129/86, 23) et *togliere il servizio (a)* (GS 13/84, 19), *perdere un set* (GS 127/86, 23), *sprecare un set-ball* (GS 208/82, 15) et *annullare un set-point* (GS 129/86, 23), *avere un set-point* (GS 211/82, 25) et *sciupare un set-point* (GS 13/84, 19).

#### 4. De problematis questionum microstructurae

4.1. Interdum nonnullae notiones non satis diligenter explicantur, cum de exacta definitione speciali agitur. Sic in lexico, quod est *Zingarelli 1983*, verbum, quod est *break*, definitur hunc in modum: 'nel tennis, vantaggio di due game sull'avversario'. Sed hac definitione tantummodo una sequela possibilis describitur, quae ex condicione, quae est *break*, exoritur. Revera agitur de condicione, qua lusor quidam ludo suo deiectus devincitur. Sola hac condicione locutiones velut *subire un break* (GS 13/84, 19) intelleguntur. Aliud exemplum definitionis inexactae invenitur s.v. *pallonetto* (resp. *lob*), ubi non obviscenda pars definitionis deest, qua follis supra lusorem adversum tollitur.

4.2. Nonnullis autem in casibus specialibus in lexicis adnotationes de numero plurali inveniuntur. Hoc in conexu divergentiae exoriuntur, cum de numero plurali anglicismo agitur. Sic in lexico, quod est *Zingarelli 1983*, verbum, quod est *game*, dicitur esse «inv[ariabile]». Tamen in eodem lexico s.v. *set* legitur haec: 'partita di tennis, composta di giochi o games'. Etiam verba, quae sunt *break* et *set*, immutabilia esse dicuntur, tamen variationes, quae sunt *breaks* (GS 121/83, 19) et *sets* (ib.), in relationibus saepe inveniuntur, cfr *match-point* pl. (GS 204/83, 13) et *match-points* (GS 145/83, 17) vel *match*

*points* (GS 72/83, 23), *set-point* pl. (GS 7.9.91, 18-F) et *set-points* (CS 5.7.91, 15-F), *tie break* pl. (GS 18.7.91, 14-F) et *tie-breaks* (CS 6.9.91, 19-F), etc.<sup>25</sup>

4.3. Etiam cum de usu interductus in nonnullis verbis compositis mutatisque exhibitio agitur, nonnullae divergentiae inter lexicographiam atque praxin relationum animadvertuntur. Sic in lexico, quod est *Zingarelli*, legitur verbi gratia *set ball*, quamvis in relationibus cottidianis saepius *set-ball* adhibeatur (cfr GS 208/82, 15). Etiam hoc in conexu similes divergentiae generantur existant, quales in relationibus saepissime inveniuntur, cfr *contro break* (GS 8.7.91, 18-F) et *contro-break* (3.9.91, 19-F), *match ball* (GS 128/86, 18) et *match-ball* (GS 5.9.91, 17-F), *match point* (GS 127/86, 23) et *match-point* (GS 7.9.91, 18-F), *palla break* (GS 145/83, 17) et *palla-break* (CS 6.9.91, 19-F), *set point* (GS 24.8.91, 21-F) et *set-point* (GS 13/84, 19), *torneo challenger* (GS 7.9.91, 18-F) et *torneo-challenger* (GS 26.8.91, 23-F) atque *wild card* (GS 130/86, 23) et *wild-card* (GS 4.9.91, 17-F)<sup>26</sup>.

#### 5. Comparatio cum aliis lexicis

Nonnullae lacunae, quae in lexico, quod est *Zingarelli*, exstant, lexicis recentioribus explentur. Sic verbi gratia in lexico *Garzanti 1987*, lexemata inveniuntur *ace*, *net*, *gioco*, quae significant 'game', *vantaggio* et *passante*<sup>27</sup>. Definitio quoque verbi, quod est *pallonetto*, exactior est quam in lexico *Zingarelli*. Altera ex parte illa definitio (non exacta) verbi, quod est *break*, ex lexico *Zingarelli* assumitur. Insuper, sicut in lexico *Zingarelli*, anglicismi, ut *break*, *game* et *set*, immutabiles appellantur. Nonnullis autem in rebus singularibus lexicon, quod est *Garzanti 1987*, qualitatem lexicis, quod est *Nuovo Zingarelli*, non habet, nam exempli gratia lemma *set ball* ibi deest, quod in lexico *Zingarelli* invenitur.

Nunc temporis optimum lexicon communis sermonis Italicis hodierni, quod est *Devoto / Oli*, in comparatione lexicorum, quae sunt *Zingarelli* et *Garzanti*, multos progressus exhibet. Nam insuper lemmata, quae sunt *court*, *slice*, *match ball*, *match point*, *set point* et *demi-volée*, inveniuntur. Etiam definitio verbi, quod est *break*, ibidem est exacta: 'il vantaggio derivante dall'aver strappato il servizio all'avversario'. Locutiones autem et syntagmata, quae spectant ad sermonem teniludii, etiam in lexico, quod est *Devoto / Oli*, magna ex parte non respiciuntur. Ex hac condicione cognoscitur capacitas lexicorum sermonis communis ad tales locutiones recipiendas non sufficere.

#### 6. De lexicographia historica

Conspectus scitu digni praebentur, cum historiam lexicis sermonis teniludii respicimus, quamvis hic aspectus hoc in conexu tantummodo breviter tangi possit. Lexicon enim sermonis atletici generaliter ad disciplinam partialem investigationis historiae ver-

<sup>22</sup> Verbum, quod est *prima*, etiam solitarium invenitur: «una sua prima» (GS 145/83, 17). - Locutio, quae est «una altissima percentuale di prime palle» (GS 211/82, 25) spectat ad numerum deiectionum primorum, qui in campum lusorium promoventur.

<sup>23</sup> Etiam verbum, quod est *challenger*, solum invenitur: «Si gioca a Pescara (challenger, 50mila dollari, terra)» (GS 13.8.91, 16-F).

<sup>24</sup> Similiter syntagmata velut *sbagliare mira*, *perder palla*, *fare partita*, etc. (cfr Schweickard, *Cronaca calcistica*, 132 s.).

<sup>25</sup> De quaestione numeri pluralis anglicismorum formandi cfr etiam Schweickard, *Cronaca calcistica*, 72 s.

<sup>26</sup> De interductu similibus in casibus ponendo cfr etiam Schweickard, *Cronaca calcistica*, 91.

<sup>27</sup> Ceterum etiam in lexico, quod est *Garzanti*, in indicibus nomenclationis [*Tavole di nomenclatura*] lexemata sermonis teniludii, quae sunt maioris momenti, praebentur.

borum pertinet, quae disciplina usque nunc imperfecte tractabatur. Imprimis plures tales in investigationes desunt, quales Fabius [Fabio] Marri instituit (*Marri 1985*) et quibus in fontes primarios inquiritur idemque exhauriuntur; qui fontes tamen generaliter difficulter sunt accessibiles<sup>28</sup>.

Nonnulla exempla huiusmodi exhiberi possunt, quae ex versione Italica cuiusdam Anglici libri institutorii teniludii deprompta sunt (titulus integer huius libri est hic: Vilfredo Baddeley, *Il Lawn Tennis*, prima edizione italiana con note e aggiunte del traduttore e 13 incisioni, Milano, Hoepli, 1898). Cum autem testimonia in illo libro inventa cum notionibus lexicis, quod est *DELI*<sup>29</sup>, comparantur, nonnullae divergentiae inveniuntur, exempli gratia in verbis, quae sunt *pallonetto* (Baddeley 1898, 61-62, aliter DELI 1963), *raccattapalle* (Baddeley 1898, 37, aliter DELI 1953), *rete* (Baddeley 1898, 55, aliter DELI 1953) vel *tennista* (Baddeley 1898, XVI, aliter DELI 1905) et *tennistico* (Baddeley 1898, 149, aliter DELI 1953).

### 7. Summarium

Hoc brevi conspectu ostendebatur lemmata sermonis tenilusorii non omni ex parte neque omnibus speciebus in lexicographia sermonis communis recipi. Tamen est exceptio, si verba maioris momenti praetermittuntur. Imprimis lexicon, quod est *Devoto / Oli*, mirabiliter integrum est atque etiam, ubi de microstructura agitur, est accuratum. Generaliter autem in lexicis sermonis communis imprimis tales notiones desunt, quae rarius adhibentur et quae ea de causa in lexicis sermonis communis marginales esse neque magni momenti aestimantur. Insuper lexicis sermonis communis esset nimium, si illa per multa syntagmata specialia reciperentur. Denique lexica sermonis communis non hoc munere funguntur, quo eis necessarium sit, ut omnes notiones sermonis tenilusorii vel alios sermones disciplinares specialesque prorsus recipiant. Immo illis verbis desideratis, quae in hac symbola enumeravimus, manifestatur necessitas, qua postulatur, ut speciale lexicon sermonis athletici etiam in lingua Italica componatur, in qua re conficienda etiam progressus methodologici (meta-)lexicographiae hodiernae respiciendi sint<sup>30</sup>. Ceterum similis condicio in notionibus sermonis tenilusorii historice exhibendis valet. Quo tamen in conexu problemata exstantia - sicut in aliis regionibus sermonis athletici - tantummodo investigationibus specialibus, quibus magna ex parte in fontes primarios inquirendum est, solvantur.

<sup>28</sup> Fabio Marri, "Una lingua per lo sport", in: Maria Luisa Altieri Biagi (ed.), *Il Resto del Carlino in un secolo di storia: tra cronaca e cultura*, Bologna, Pàtron, 1985, 157-206. Usque nunc nondum in lucem edita est investigatio haec: Graziano Pampaloni, *Annali del lessico calcistico. Contributo storico-semanticò*, quod opus anno 1969/70 Ticini tamquam thesis laureata [*tesi di laurea*] exhibitum est.

<sup>29</sup> Manlio Cortelazzo / Paolo Zolli, *Dizionario etimologico della lingua italiana*, 5 voll., Bologna, Zanichelli, 1979-1988.

<sup>30</sup> Sicut exempla praebita lexicis a Rainerio [Rainer] Wehlen pro lingua Theodisca compositi (*Regeln und Sprache des Sports*, 2 voll., Mannheim / Wien / Zürich, Bibliographisches Institut [Dudenverlag], 1976) vel lexicis a Georgio [Georges] Pétiot pro lingua Francogallica compositi (*Le Robert des sports*, Paris, Le Robert, 1982).

## TABULA MATERIAE

<i>Tabula materiae</i> .....	V
<i>Einleitung</i> .....	VII
<i>Symbolae</i> .....	1
<i>Expositio de sortibus Latinitatis in Imperio Romano</i> .....	3
Hubertus Petersmann, <i>De linguae Latinae origine atque de eius in Imperio Romano usu publico</i> .....	5
<i>Dissertationes de sensu et forma vocabulorum Latinorum</i> .....	11
Ioannes Kramer, <i>De linguae Latinae nominibus</i> .....	13
Sigrides C. Albert, " <i>Lingua est interpret animi, enuntiatrix sensuum</i> ". <i>De antiquis verbis Latinis, quae exeunt in -trix</i> .....	19
<i>Observationes grammaticales ad linguam Latinam pertinentes</i> .....	33
Roland Hoffmann, " <i>Sint ora faventia sacris</i> ". <i>De participii praesentis usu periphrastico</i> .....	35
Thomas Lambertz, <i>De supinorum Latinorum constructionibus in grammatica dependentiali describendis</i> .....	47
Inecula Sluiter, <i>Grammatici antiqui de gerundio et ἐπιρρήμασι θετικαῖς</i> .....	75
<i>Commentationes de sortibus Latinitatis post Imperii Romani occasum</i> .....	89
Blasius Amata, <i>Viribus unitis</i> .....	91
Caelestis Eichenseer, <i>De significationibus verborum vulgariter sive simpliciter sive mutatis</i> .....	97
Alf Önnarfors, <i>De Latina Musa in Suetia olim florente</i> .....	127
Tuomo Pekkanen, <i>De vocabulis Latinis in linguam Finno-Scandinauicam mutuatis</i> .....	137
Axelius Schönberger, <i>Num pronuntiatius Latinus tempore Caroli Magni mutatus sit</i> .....	143
Werner Schubert, <i>Quid lingua Latina in operibus nostrae aetatis musicis valeat</i> .....	151
Wolfgang Schweickard, <i>De lexematis teniludii in lexicis Italicis</i> .....	163